



# Novorum in Hollandia constantissimorum martyrum passionis historia, anno m.dlxii

<https://hdl.handle.net/1874/8955>

NOVORVM IN  
HOLLANDIA CONSTAN-  
TISSIMORVM MARTYRVM PASSIO-  
NIS HISTORIA, ANNO M. D. LXXII. A PRAE-  
stantissima eruditissima pietatisq; viro, Domino Gulielmo  
Estio Hesselio Gorcomiano, Sacrae Theologie Licen-  
tiate candidissimo, pio affectu  
descripta.

Psalm.91.

Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum, & apparuerint  
omnes qui operantur iniquitatem.  
Ut intereant in seculum seculi: tu autem altissimus in æter-  
num Domine.  
Quoniam ecce inimici tui Domine: quoniam ecce inimici  
tui peribunt, & dispergentur omnes, qui operantur ini-  
quitatem.



Colonia Agrippine excudebat Henricus Aquensis,  
Anno salutis humanae M. D. LXXII,

**Gregor. Mag. ho. devirginib.**

Martyr pro Christo mori non potuisset corpore, nisi prius  
desiderijs terrenis mortuus fuisset in mente. Ereitus namque  
animus virtutis culmine, tormenta derisit, præmia calcauit,  
ante armatos reges & præfides dæsus imperterritus stetit, fe-  
riente robustior, iudicante sublunior.

# NOVORVM IN HOLLANDIA CONSTAN.

TISSIMORVM MARTYRVM PASSIONIS HISTO-  
RIA, Anno 1572. à præstantissimæ eruditio[n]is pietatisq[ue] viro, Do-  
mino Guilielmo Etio Hessilio Gorcomiano, Sacrae Theologiæ  
Licentia[n]e candidissimo, (qui & ibidem Germanum fratrem Lai-  
cūm cum martyribus captiuūm, postea verò liberatum ha-  
buit,) p[ro] affectu Christianissimeq[ue] descripta,  
ac amico Coloniam trans-  
missa.

**G**AU<sup>1572</sup> NNO SALVTIS NOSTRAE SVPR A MILLESI-  
mum Quingentesimum Septuagesimum secundum, quum Geu-  
siorum factio per Hollandie & Zelandie loca rursum vires cape-  
re paulatim inciperet, occupato ab iis inter ceteras ciuitates Dor-  
draco, quæ est Hollandie ciuitas primaria, cumq[ue] iam idem ho-  
stis Gorcomianæ ciuitati, quæ Dordraco quatuor passuum miliaribus abest, vi-  
deretur immixtare, Ecclesiastici, qui Gorcomij erant, propemodum omnes, vt  
Vim & scutiam hostis aduentariis euaderent, in arcem, quæ ad eiusdem ciui-  
tatis mœnia in conspectu fluminis preterlabentis posita est, se receperunt, spe-  
rantes eam non facilè ab hoste expugnatam iri, aut certè, vt iam persuasum ha-  
beant, sublidiūm aliunde in tempore adsuturum. Expectabatur enim in horas  
filius p[re]fecti arcis aduenturus cum militum cohorte. Receperat se in eandem  
arcem pleriq[ue] ciues Catholici cum preciosiori supellestile. Eodem illatum erat  
ferè quicquid erat sacrorum vasorum aut ornamentorum tum apud Franciscan-  
os, tum in æde ciuitatis primaria. Geusii itaq[ue] ciuitatem iam ingressi, postu-  
latoq[ue] publicè iurecurando, summa diligentia ea sibi comparare ceperunt, quæ  
ad arcem expugnandam iudicabant necessaria. Erat autem hora ferè tertia po-  
meridiana diei vigesimæ sextæ mensis Iunij, cum ciuitas à Geusii occuparetur.  
Mox itaq[ue] summo conatu adhibitis machinis bellicis arcem Geusii oppugnat,  
adeoq[ue] pertinaciter insistunt oppugnationi, vt quamvis animosè ab ijs, qui in  
arcem erint, resistenteret, ob paucitatem tamē militum p[re]sidiorum (vix enim  
numerum viginti hominum excedebant) factum sit, vt intra breue temporis  
spaciu[m] utraq[ue] arcem interiacentem, murisq[ue] clausam, qua ad arcem transi-  
tus est, hostes vi occuparent, fueruntq[ue] arcis iam proximi, quam cum p[re]fectus  
cum p[re]sidariis & ciuib[us], qui intra arcem erant, post continuam & pertina-  
ciam oppugnationem, nec non strenuam viciissim propugnationem desperaret  
ob rerum quarundam necessiarium defecum, se[le] diutius detendere posse,  
tandem vltro citroq[ue] tumultuarie habito colloquio, ea conditione arcem ho-  
sti dedere, vt omnibus qui in ea erant, tam Ecclesiasticis quam ciuib[us] & p[re]si-  
diariis, vita maneret incolmis, supellex autem & quicquid thesauri in arce

erat, hosti cederet. Postquam in hanc deditio[n]is formā solemniter hostes con-  
ceptis verbis iurassent, arx dedita est, sub horā secundam post medium noctis  
in sequentis. At hostes in arcem admissi, p[ro]cti paulo ante iurecurando firmatis  
immemores, continuo nomina omnium qui in arce erant, calamo excipiunt,  
Iude ciues cum sacerdotibus secularibus in obscurum carcerem detruduntur,  
nisi quod ē ciuib[us] vnu[s], qui Geusis plus ceteris exosus fuerat, seorsim in cu-  
stodiā asservandus traditur, qui quarto post die simul cum alio ciue publice  
in foro ad patibulum recens erectum suspensus est. Monachi qui eodem vno  
excepto erant instituti D. Francisc[us], à ceteris studiosè sciunti, in aliū carce-  
rem horridū & squalidēm conjecti sunt. Porro sub vesperam ciues qui simul  
capti detinebantur, liberi dimissi sunt, p[ro]cta tamen pro redēptione quadam  
pecunia summa, Sacerdotes seculares eodē quo Monachi clauduntur carcere,  
vbi post acerbas contumelias, ab improbissimis militibus illatas, miserè varijs  
modis torquentur, inter quos Minoritarum p[re]fectorus, quem Guardianum vo-  
cant, cum esset fidei Catholice assertor constantissimus, ex fune suo, quo pro  
instituti sui ratione cinctus erat, suspensus est, atq[ue] ibi gloriosam mortem oppe-  
tiisset, nisi Deo ita volente, vt grauioribus adhuc opprobrijs & p[en]nis, pro fide  
Catholica perferendis reseruaretur, funis suis et abruptus, quamquam iam à  
socijs qui aderant, & tantæ crudelitatis spectatores esse cogebantur, extintus  
putaretur. Quem cum seueri milites delapsum & adhuc spirantem reperiunt,  
pedibus humi iacentem proculant, etiam in faciem sancti viri calcibus impin-  
gentes, & varijs opprobrijs eum onerantes, quem tamen nondum eo tempore  
occiderunt. Eadem ne quicquam ad summam ignominiam deesse videretur  
(quod tamen Christianus vel maximè gloriosum ducere debet) crucis figuram  
in fronte cultro exararunt.

Pari crudelitate aggressi sunt M. Nicolaum Poppelium, qui pastorum alter  
erat, quod acrius in hæreticos inuehi solitus erat. Hunc oposito in os sclopeto  
minoris (quod pistoletum vulgus vocat) velut mox explosuri ad negandam fidē  
cogere voluerunt, exprobantium modo iubentes, vt nunc, quæ aliquando pu-  
blicè pro concione solitus esset declaterare, profiteretur si audeat. At ille nihil  
metuens præsens periculum, constantissimè respondit, se certò credere, verum  
Christi corpus & sanguinem sub panis & vini specie in Eucharistie sacramento  
contineri. Miles vero qui sclopeton manu tenebat, explodere non est ausus.  
Taceo summam ignominiam præter hos duos etiam ceteris illatam, dum ve-  
stibus exutis (quas miles partiebatur) virgis acriter ceduntur, adeò vt sanguis  
vbertim deflueret. Quādā vero crudeliter dilaniati fuerint, argumēto est, quod  
cum postea Brilam aucti essent, & ibi penè nudi insane plebis oculis confici-  
endi exponerentur, publicè à plebe clamatum sit, eos laborare scabie Gallica:  
apparentibus nimirum per corpora ipsorum adhuc plagis per modum scabiei  
iam incrustatis. Ceterum quo p[ro]acto, quādā occasione duorum pastorum seni-  
or nomine Leonardus Vechelius, è carcere ad paucos aliquot dies liberatus, è  
ciuitate sub fide publica (sed quādā Geusis nulla est) dimissus, denuo non sine  
prodictionis specie plusquam verisimili in ciuitatem reductus, contumeliosè ad  
ingressum ciuitatis tractatus, a statim in carcerem, unde liberatus paulo ante  
erat,

erat, retrusus fuerit, prolixè narrando persequi me non patitur instituta breu<sup>l</sup>  
tas. Igitur per dies vnde cim derenti sunt, & tractati eo quo diximus modo opti-  
mi viri, nisi quod ex illis duos tres, quos ceteris minus exosos habuere, passi  
sint Geusij ingenti pecunia summa redimi. Duodecimo denum die, qui erat  
Iulij septimus, Brilam aucti sunt, oppidum Hollandie exiguum quidem & ob-  
scurem, sed aestate superiori Geusiorum, qui id dolo occupauere crudelitate, &  
Ecclesiasticorum eò ex omni ferè Hollandie angulo aduectorum, cædibus &  
supplicijs noble. Ibi ergò in terrâ expositi, mox à Comite à Marca, Guilielmo  
nomine, viro ex illustri quidem familia prognato, sed in Ecclesiasticos note cru-  
delitatis, excipiuntur acerbissimè. Nam ipse baculum manu gestans, & verbera  
subinde ingeminans, eos ante se agebat. Reliqua multitudine militum & plebs,  
qua spectatum venerat, contumelijs & probris captiuos cereatim incuscebant.  
Ducuntur deinde ad patibulum, quod est ad portam ciuitatis, quod circuite  
incessu retrogrado, atq; inde genibus flexis alta voce, Lytanias canere cognun-  
tur. Quod si qui submissiùs canerent, baculo extimulabantur. Post hæc ciuita-  
tem ingressi, eodem quo antea modo, ad patibulum, quod est in medio foro,  
trahuntur, sacra cantica rursum cantare coacti, spectante & certatim captis il-  
ludente plebis multitudine. Postremò in scotidissimum carcerem coniiciuntur,  
è quo nisi diligenter quorundam notorum sollicitatione maturet suissent ex-  
tracti, erant pro intolerabili fœtore, non multò post animam exhalaturi. De-  
inde aliquoties ad patibulum proracti, ac vicissim in carcerem reducti sunt.  
Simul & vt insanae plebis libidini fieret satis, quæ tali spectaculo velut pasci vi-  
debatur, & vt nouum subinde viris incuteret terrorem frequens ac recens ex pa-  
tibulo conspecto mortis metus. In sequenti die singuli à duobus concionatori-  
bus hæreticis examinantur, quorum alter nauta erat Gorcomianus, idemq; po-  
tator strenuus, & homo mirè sanguinarius: alter paulò doctior & senior. Cum  
quæ omnes post interrogationem habitam, qui ad vitam æternam predestina-  
ti erāt, constanter in fide Catholica persisteret, nec adduci vlla ratione possent,  
vt vel vnguem latum, quod aiunt, ab ea recederent, in carcere reducuntur.  
Aduenit interea Gorcomio Brilam quidam Catholicus, qui cōmuni Senatus  
populiq; Gorcomiani nomine pro captiuis interpellaret, adserens secū à Sena-  
tu literas, quæ testarentur omnes eos esse viros integerrimos, vitæq; inculpatæ,  
qui nullius vñquā vitæ aut fortunis suissent insidiati, sed multis modis Remp.  
Gorcomianam se penumero adiuuassent, deq; ea optimè essent meriti. Adfere-  
bat idem literas à Principe Auriaco impetratas, (nam ille velut factionis caput  
habebatur, cui ceteri parerent) quibus disertè cauebatur, ne vlli Ecclesiastico  
inferretur documentū, sed vt hi cum ciuibus sub eadem essent tutela, eademq;  
omnibus præstaretur fides publica. Vrgebat quoque quod in deditione arcis  
Gorcomiana disertis verbis, addito etiam iurecurando, omnibus vita incolu-  
mis esset paæta. Ad quæ omnia nihil ferè aliud fuit responsum, quæ se iurasse  
in necem omnium sacerdotum qui Brilam adueherentur, seq; vindicta sumere  
decreuisse de nece Comitis Egmondani, Hornani, & præcipue Nobilitatis Bel-  
gicæ. Notandum inter haec & memoratu dignum, quod fratres duo Patris Ni-  
colai Guardiani, homines de religionis veritate parum solliciti, sed amore tan-

**m**en carnali ducti, Gorcomio Brilam venerunt, fratrem suum, si fieri posset, precibus & precio liberaturi. Erantq; id effecturi, si cum ad renunciandum summō Pontifici adducere possent. Itaq; impetrant, vt cum eo solo colloquium miscent in diuersorio quodā, vbi mense pariter assidentes, fratrem quibus possunt precibus & blandimentis inducere conantur, vt Papę renunciet, dicentes Papam hominem esse, nec ipsum, si id faciat, Deo renunciaturum, sed homini. At ille nulla fratum persuasione adduci potuit, vt vel minimum ab aperta Catholice fidei confessione recederet. Respondens, se gratias quidem illis habere, quod bono erga ipsum essent affectū, quo tam vehementer pro ipso sollicitabant, se tamen malle mortem (que tamen aliquando naturae necessitate subeunda esset) nunc gloriōse oppercere, quam illa ex parte à fide de ciscere. Hæc eum lætum & ridenter respondisse ex eo qui præfens aderat, cognoui. Noste itaq; insequenti inter primam & secundam horam educuntur captiuū omnes ē ciuitate, non sine magno hominum & equorum strepitu: tribus tamen exceptis, quorum unus precio redemptus, non sine fidei Catholice renunciatione. Nam statim post stipendia sub Geusis mereri cœpit. Alter qui Franciscanus erat, natione Gallus, in egressu ciuitatis milites Gallos compellans, ab ijsdem clām eductus est: cepitque etiam mox cum ijsdem stipendia mereri. Tertius & ipse Franciscanus, sed nondum religionem professus, & ætate adhuc minuta matura, creditur blanditijs Geusorum ad factionem ipsorum pertractus esse. At ne numerus quo ē ciuitate Gorcomiensi emissi erant, mutarerur, qui erat nouendenarius, Divina prouidentia factum est, vt aliunde tres in locum deficiunt subrogarentur, unus sacerdos secularis ē territorio Dordracensi, & duo Franciscani ex alia quapiam ciuitate Brilam aduecti, vt nimis hi tres acciperent coronas famuldum integro numero preparatas. Eductis ergo extra ciuitatem captiuis, quum milites aliquandiu idoneum supplicij locum quæsiuisserint, tandem reperere casam quandam agrestem, quæ pridem fuerat monasterij Ruggensis propè Brilam. Ibi omnes postquam se Deo & mutuis precibus commendassent, mutuoq; ad constantiam proposita spe gloriae ac retributio- nis iam proximæ adhortati essent, primum Franciscani, rum sacerdotes reliqui ex oblonga trabe omnes suspensi, vitam hanc caducam & temporariam glori- osa morte commutantes, in Christo obdormierunt. Mortuos mox vestibus, que tamen pauca & exigui precij illis relictae erant, spoliant, tum ne quid extremæ crudelitatis deesset, alias naribus, alias auribus, alias etiam (ò rem nefandam) membris pudendis murlant, quibus ad galcos affixis per pulchritudine, vt sibi videbantur, ornati, tanquam insignem ē nobili pugna victoriā reportantes, in opidum regrediuntur. Tertio demum die (vi relata cognovimus) Martyres sancti, eodem in loco, quo morte affecti sunt, humo sunt conditi.

Nomina porro eorundem, quæ comperta habemus, quia æterna memoria digni sunt, breuiter adiiciemus. Sacerdotes seculares erant quinq; numero, M. Leonardus Veehelius Buscoducensis, Pastor senior Gorcomianus; M. Nicolaus Joannis Poppelius, eiusdē ciuitatis Pastor junior, Pastor pagi cuiusdam proprie Gorcomiam, cui nomen Hornaria, Pastor alter Hcineordenensis, qui est pagus proprie Dordracum, vtriusq; autem pastoris nomine ignoramus, M. Godfridus

Dumcas

Dumetus Gorcomianus, vir mentis non satis compos, probè tamen eruditus, & vite inculpatae. Reliqui suæ Monachi, ex quibus Franciscani tredecim, quorū hæc sunt nomina, Nicolaus Pie filius Gorcomianus, Guardianus fratrum Minorum eiusdem ciuitatis, Hieronymus VViertenlis, Viceguardianus eiusdem cœnobij, Vilhadus Danus, olim ex Dania in has partes Religionis causa profugus, Nicafus Hefsius olim apud Louanit ses Pontificij collegij alumnus, Theodoricus Emdenus Amersfordianus, Antonius VViertenlis, Antonius Hornensis, Godfridus Meruellanus, Franciscus Bruxellensis, tum laici duo ex eodem cœnobia, quorum alter Petrus Alcanus, alter Amersfordianus patria, sed nomen m. laret. Hinc duo alij fratres Minores aliunde, vt supra narratum est, Brilam aduecti, quorum nomina nescimus. Postremò Monachus unus regularis S. Augustini, ex Monasterio, quod ad mœnia Erlenensis oppidi situm erat, qui Gorcomij Praefectus erat alteri Monasterio virginum, quod est instituti D. Augustini. His miraculam pridem factum adjicjā, vt ex pluribus fide dignissimis, qui Gorcomij quum contingenteret, erant, accepi.

Civis quidam Gorcomiensis, nomine Mathias Thoranus, cum hernia, qui morbus est intestinorum erumpentium, grauissimè laboraret, adeoq; periculose, vt nulla iam vitæ spes reliqua foret, multis praesentibus opem implorauit diuinam, per merita & suffragia Martyrum, qui Brilæ pro fide Catholicæ mortem oppetijsent. Id vbi fecit, continuo à periculo in quo vertabatur, liberatus, & sanitati pristinæ restitutus est.

#### Gregorius libro 4. dialogorum.

Principes mundi qui Ecclesiam persecuti sunt, miserabili morte semper interierunt, & eorum posteritas postmodum deleta, & martyrum gloria exaltata est.

*Psalm. 115*

*Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.*

